

THE CLASSICAL ASSOCIATION OF CANADA  
LA SOCIÉTÉ CANADIENNE DES ÉTUDES CLASSIQUES

NATIONAL SENIOR LATIN SIGHT TRANSLATION CONTEST  
CONCOURS NATIONAL DE VERSION LATINE IMPROVISÉE, NIVEAU  
SUPÉRIEUR

2006

The Christian Octavius, in Minucius Felix' dialogue in defense of Christianity, refutes his opponent's argument that the piety of the Romans was what made them great.

Dans le dialogue de Minucius Felix pour la défense du christianisme, le chrétien Octavius réfute l'argument de son adversaire selon lequel c'est la piété qui aurait fait la grandeur des Romains.

At tamen ista ipsa superstitio Romanis dedit, auxit, fundavit imperium, cum non tam virtute quam religione et pietate pollerent. Nimirum insignis et nobilis iustitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est! Nonne in ortu suo et scelere collecti et muniti immanitatis suae terrore creverunt? Nam asylo prima plebs congregata est: confluxerant perdit, facinerosi, incesti, sicarii, proditores, et ut ipse Romulus imperator et rector populum suum facinore praecelleret, parricidium fecit. Haec prima sunt auspicia religiosae civitatis! Mox alienas virgines iam desponsatas, iam destinatas et nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit, violavit, inlusit, et cum earum parentibus, id est cum soceris suis, bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. Quid irreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia tutius? Iam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis et altaribus, captos cogere, damnis alienis et suis sceleribus adolescere cum Romulo regibus ceteris et posteris ducibus disciplina communis est. Ita quicquid Romani tenent, colunt, possident, audaciae praeda est: templa omnia de manubiis, id est de ruinis urbium, de spoliis deorum, de caedibus sacerdotum. Hoc insultare et illudere est victis religionibus servire, captivas eas post victorias adorare. Nam adorare quae manu ceperis, sacrilegium est consecrare, non numina. Totiens ergo Romanis impiatum est quotiens triumphatum, tot de diis spolia quot de gentibus et tropaea. Igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi: neque enim potuerunt in ipsis bellis deos adiutores habere, adversus quos arma rapuerunt. At, quos prostraverant, detriumphatos colere coeperunt: quid autem isti dii pro Romanis possunt, qui nihil pro suis adversus eorum arma valuerunt?

(Minucius Felix, *Octavius* 25. 1-7)

## Vocabulary / Vocabulaire

|                            |                   |                          |
|----------------------------|-------------------|--------------------------|
| grow larger                | adolesco, -ere    | grandir                  |
| refuge                     | asylum, -i        | refuge                   |
| inaugurate                 | auspicor, -ari    | inaugurer                |
| betroth                    | desponso, -are    | fiancer                  |
| triumph over               | detriumpho, -are  | trionpher de             |
| act impiously              | impio, -are       | se conduire avec impieté |
| cradle                     | incunabula, -orum | berceau                  |
| spoils                     | manubiae, -arum   | butin                    |
| young married woman        | muliercula, -ae   | jeune femme mariée       |
| no doubt                   | nimirum           | sans doute               |
| deity                      | numen, -inis      | divinité                 |
| murder of a close relative | parricidium, -i   | meurtre d'un parent      |
| traitor                    | proditor, -is     | traître                  |
| assassin                   | sicarius, -i      | assassin                 |
| father-in-law              | socer, -i         | beau-père                |
| trophy                     | tropaeum, -i      | trophée                  |